

De Principio Conversionis.

1. De Principio Conversionis nunc acturi, ad evitandas errorum syrtes initio statim removemus, quæ eadem quidem cum hac conversione voce gaudent, re tamen ut plurimum differunt. Vox Conversionis, quo ad præsens negotium, non accipitur *generaliter & latè* pro piorum in statu pietatis continuatione & incremento, sicut Magnificus Dn. D. Præses alibi monet; neque *specialius* pro renatorum lapsorum pœnitentia; sed *specialissimè* pro prima non renatorum ad fidem traductione: eaque non extraordinaria, qualis conversio fuit Apostoli Pauli, Act. 9. Latronis Luc. 23. Cornelii familiæ & vicinorum Act. 11. v. 17.

2. Causa efficiens principalis conversionis nostræ est ipse DEUS, qui solus eminentissimam habet potentiam, quam nullæ creaturarum vires quantumvis in unum conglomeratæ superare vel æquare possunt; quam prædicat Apostolus Ephes. 1. v. 19. *Excellens magnitudo presentie ejus in nos, qui credimus secundum efficaciam reboris & fortitudinis ejus.* Ille aufert cor lapideum, de carne nostra, & dat nobis carneum, Ez. 3. v. 26. Quod evidenter demonstrat Propheta, dicens: *Converte me & convertar, quia Tu Dominus DEus meus,* v. 18. Nec immeritò; nam solus Cor fornicans & aversum conterit Ezech. 6. v. 9. mortuos in peccatis vivificat, Col. 2. v. 13. Et quod plus est, (cum non majoris virtutis sit conversio, quàm creatio) creat cor novum, Psal. 5. v. 12. Etsi non immerito hanc conversionis nostræ actionem Scriptura S. SS. Trinitati *absolutè* adscribat, cum opera Trinitatis ad extra sint indivisa; *In specie* tamen Christo tanquam causæ impulsivæ & meritorie tribuitur. *Manifestatio enim arcane voluntatis divinæ sapientia & intelligentia* Ephes. 1. v. 8. 9. dicuntur evenisse nobis per redemptionem & sanguinem Jesu Christi. *Existentes nos mortuos in offensis convivificavit Christo,* Eph. 2. v. 4. Ob hoc meritum Christi, Ariani volunt (sed mendosè,) DEUM teneri ex naturali æquitate, ut hominibus omnibus media conversionis præbeat. Dico mendosè: *Nam & meriti*